Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1337
Quelle:
Copyright:

XVII. *fol.* 177. *Incipit liber de prosperitate aduersitatis Nicolai de Clamengijs.* Initium: *Cum maxime predicatoris officium sit* &c. Post editionem *Paris.* 1521. 4. comparet in *Bibl. PP. suprac.* p. 622. et apud *Lydium* p. 132.

XVIII. *fol.* 185. *Hugo de Oratione.* Initium: *Quo studio et quo affectu a nobis orandus sit Deus* &c. Finis: *Et gratissimum deo sacrificium in ara cordis adoletur.* Opusculum istud in edit. *Opp. Hugonis a S. Victore Rothom.* 1648. f. extat in *Capita* VIII. divisum T. II. p. 238. cum *Prologo*, quo *Codex* noster caret.

XIX. *fol.* 190. p. 2. Elenchus *Casuum* Excommunicationis latae Sententiae ex *Summa*, ut dicitur, *Hostiensis* et *toto Corpore Juris* excerptus.

XX. *fol.* 196. *Sermo magistri Nycolay de Orem ad Papam et ad Cardinales.* In illud *Is.* C. 56. *Juxta est salus mea ut veniat* &c. Initium: *Secundum sententiam Apostoli ad Ro. 2. et 3. et pluribus locis* &c. Ad calcem: *Explicit sermo magistri Nycolai Orem* (Horem, Oresme, Oresmii) *factus coram papa et suis Cardinalibus In vigilia natiuitatis Domini que fuit quarta Dominica aduentus Domini Anno M° CCC° LXIII°. Pontificis Vrbani pape quinti anno secundo.* Quod corruptos Cleri mores et abusus in Ecclesia perstringeret, editus a *Fl. Illyrico* in *Cat. Test. Verit.* edit. primae p. 878. a *Job. Wolfio* T. I. *Lect. memorab.* p. 648. et separatim a *Salom. Gesnero Witeb.* 1604. 4. ubi tamen erronee in *titulo* habitus dicitur 1346.

XXI. *fol.* 205. *Cur Deus homo Gwilhellmi Parisien.* Distinguendum Opusculum ab eo, quod inter *Anselmi Cantuar.* Opera eodem titulo visitur. Nostrum incipit: *Ponam ad hoc quatuor radices virtutis nostre appetitiue Interioris errorem* &c. Exactum ad edit. *Parisinam* Opp. *Guilelmi* 1516. f. *Vol.* II. *fol.* 73. deficit in illis *col.* 15. verbis: *ex quo per locum a proportione sequitur* —. Quibus librarius noster subjecit: *De libro Cur deus homo magistri wilhelmi Parisien. plura non deuenerunt ad manus meas, de quibus habuissem locum copiandi.* *Guilelmi* dicti *Parisini* non parum negotii facessivere Bibliographis. Noster *Arvernus* ortu Ecclesiae *Parisinae* ab an. 1228. ad 1249. praefuit. Vide de eo post alios *Fabricium Bibl. med. et inf. Lat.* L. 7. et *Hambergerum* P. IV. p. 384. ubi et plures ejus Operum Editiones memorantur.

XXII. *fol.* 216. *Materia de casibus excommunicacionis edita per Magistrum Thomam* (Ebendorfer) *de Haselpach.* Incipit: *Saluator noster Mat. 18. cum dixisset collegio sanctorum apostolorum* &c. Ad calcem: *In die cene denunciacio edita per Egregium doctorem sacre Theologie et reuerendissimum magistrum Thomam de haselpach pro tunc existentem plebanum in perchtoldsdorff Anno domini M° CCCC° XL4°.* Viri hujus de Academia *Vindob.* optime